Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

hec est via humilitas et dicitis. Quare ieiunavimus et non aspexisti: humiliavimus animas nostras et nescisti.

Nolite ieiunare sicut usque in hanc diem ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium quod elegi: per diem affligere animam suam. Numquid contorquere quasi circulum caput suum et saccum et cinerem sternere. Numquid istud vocabis ieiunium et diem acceptabilem domino. Si vultis inquit ut vestra ieiunia aspiciam nolite sic ieiunare sicut usque hodie ieiunastis. Si vultis ut audiatur in excelso clamor vester si vultis ut vestre orationes resonent in auribus meis fugite lites et contentiones et aliam ieiunandi discite normam. Numquid tale est ieiunium quod elegi: ut solam animam homo affligat et tristem et despicabilem vultum ostendat. Si enim in turpi facie delectarer nequaquam tam honestas eas creassem. Alii quoque quasi circulum caput torquentes et in superbiam et vanam gloriam mentem erigentes omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Saccum sibi et cinerem sternunt non ut penitentiam agant sed ut vanos favores hominum captent. Contra tales autem dominus in evangelio loquitur dicens. Cum ieiunatis nolite fieri sicut ypocrite tristes. Exterminant enim facies suas ut videantur hominibus ieiunare. Tu autem cum ieiunas unge caput tuum et faciem tuam lava ne videaris hominibus ieiunans.

Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi. Dissolve colligationes impietatis solve fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt liberos et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum et carnem tuam ne despexeris. Audivimus ieiunium quod reprobat deus. Audiamus et illud quod eligit. Dissolve inquit colligationes impietatis solve fasciculos deprimentes. Omnes enim naturaliter fratres sumus. Solvamus igitur fratres nostros a vinculis quibus nobis sunt obligati. Non queramus necessaria et coacta servitia ab hiis quibus nulla impendimus beneficia. Hoc enim divites faciunt per potentiam pauperes opprimentes. Per fasciculos vero deprimentes iniusta et superflua tributa et iniquas conditiones quibus a divitibus pauperes opprimuntur sive etiam usuras in quibus non solum possessiunculas suas verum etiam seipsos multotiens fenerant-toribus tradunt intelligere possumus. Dimitte eos qui confracti sunt liberos et omne onus disrumpe. Si vis inquit tuum tibi valere ieiunium dissolve predictas impias colligationes et dimitte abire et vivere liberos et omne onus disrumpe quo paupertate et miseria confracti sunt et solvens fasciculos deprimentes omne onus disrumpe quo aggravati ferre non possunt. Sed dicis. Ego qui pauper sum qui debitores non habeo qui nullum per potentiam opprimo qui a nemine iuste vel iniuste tributum exigo quid agere debeo ut meum ieiunium recipiatur. Sequitur. Frange esurienti panem tuum. Non precipio ut totum des. Si modicum habes modicum tribue. Et egenos vagosque induc in domum tuam. Ut sis inter illos de quibus apostolus ait. hospitalitatem sectantes. Et dominus in evangelio hospes eram et collegistis me. Cum videris nudum operi eum et carnem tuam ne despexeris. Ut et tibi dominus dicat. Nudus eram et cooperuistis me. Itemque qui habet duas tunicas det non habenti.

Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et sanitas tua citius orietur et anteibit faciem tuam iustitia tua et gloria domini colliget te. Tunc invocabis et dominus exaudiet clamabis et dicet ecce assum. Si hec inquit feceris et tali ieiunio ieiunabis certus esto quia erumpet quasi mane lumen tuum quo de tenebris ad lucem trahentis. et inter illos eris de quibus dicitur. Vobis autem iustis orietur sol iustitie et sanitas tua citius orietur pro qua ieiunabis et pro qua rogabas dicens. Miserere mei domine ps. quoniam infirmus sum. sana me domine quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. Et ante faciem tuam ibit iustitia tua. Qua duce a recto itinere deviare non poteris. Que etiam cursu finito in pace deducens. Colo iii a. Et gloria domini colliget te. De quo apostolus ait. Cum enim Christus apparuerit vita vestra tunc et vos apparebitis in gloria cum ipso. Tunc invocabis quando tali ieiunio ieiunabis et dominus exaudiet clamabis et dicet. Ecce assum. Dicet utique non voce sed opere.

Si abstuleris de medio tui cathenam et desieris digitum extendere et loqui quod non prodest. cum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris tunc orietur in tenebris lux tua et tenebre tue erunt sicut meridies. Si inquit preter ea que supra dicta sunt etiam istud quod sequitur agas. ut videlicet de medio tui de corde tuo de anima tua cathenam auferas et vincula quibus tua te peccata ligaverant. Tunc fiet quod sequitur. Et si desieris digitum exten